

tera presentibus litteris duximus roborandam. ne posteris reuocetur in dubium que eisdem & fide dignis testibus communitur. Nouerint igitur uniuersi tam posteri quam moderni. quod memoratus dominus dux. a prenominato claustro optinuit in valbý. nýcopiam. østana. & vestan. cum omnibus attinenciis suis & stenboarum. & partem de duabus lindøum. echebý. vi-them. & viribý cum attinenciis eorundem. a se suisque successoribus perpetuo possidenda. que predia domina. katerina. gloriosa quondam regina swethie. felicitis memorie pie deuocionis intuitu eidem claustro contulit non de bonis regalibus. aut ad regnum aliquo modo pertinentibus. sed de bonis ad eandem iure hereditario deuolutis. claustum vero memoratum recepit ab eodem domino duce legaliter predia sua propria in quibus hereditarie successerat non regalia. vel ad regnum aliquatenus pertinencia. nes. scilicet. Geth-tini. & fløthesmýlný vestana. cum omnibus attinenciis eorundem. sibi suoque conuentui in posterum profutura. quod vt stabilius perseueret presencia sigillorum nostrorum munimine confirmamus. hiis testibus. domino rege waldemaro. domina Ingibýrchge. ducissa. domino hulmgero. F. ducis filio. \*) domino karolo. vlf. ducis filio. domino Elauo dicti ducis fratre. domino kanuto dansun. domino. karolo. Johannis angeli filio. domino kanuto Phillippi filio. Petro legifero vestrogothorum. & karolo. hýalm. Datum. walbý. anno ab incarnatione domini. M<sup>o</sup>.CC<sup>o</sup>.L<sup>o</sup>.III<sup>o</sup>. tercio Jdus februarij.

Frånsidorna: super næs, giætini (giædini, giethini) & fløigs mølnu (fløghæsmøllo).  
Sigillen: N:o 1, 2, bortfallne; de öfrige sex skadade.

406.

1253 d. 13 Aug.

Assisi.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Bref till JACOB ERLANDSSON f. d. Biskop i Roskild, rörande dess utnämning till Ärke-Bisk. i Lund; äfvenledes till Dom-Capitlet, Presterskapet och Allmänheten i Stiftet, i samma ämne.

F. 1: 218. An. 11. Ep. 120.

*Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei Verabili Fratri Jacobo Episcopo quondam Roskildensi in Archiepiscopum Lundensem Electo. Salutem &c.*

Lundensis Ecclesia Pastoris solatio destituta, Capitulum ipsius vocatis omnibus, qui debuerunt, voluerunt, et potuerunt comode interesse tribus de ipso Capitulo providendi eidem Ecclesie de pastore sive de se ipsis sive de Capitulo, vel aliunde contulerunt unanimiter potestatem, promittentes se il-

\*) Följande olikheter förefalla i A. 3. å. 2: 5. Domino Kanuto. Philippi filio. Domino Karlo Vlf. ducis filio. Domino Elauo. dicti ducis fratre. Domino Kanuto dansun. Domino Karolo. Johannis angeli filio. Petro Legifero wesgotorum &c.

Sigillen: N:o 1, 2, 5, 6, bortfallne; de öfriga 6 skadade.

lum in suum Archiepiscopum recepturos, in quem ipsi tres vel duo ipsorum votis paribus consentirent, quorum duo juxta formam potestatis sunt tradite deliberatione habita diligenti, te in Ecclesie predicte Archiepiscopum concorditer postularunt, ac postulationem hujusmodi prefatum Capitulum duxerunt concordi animo approbandam, nobis humiliter supplicantes ut postulationem ipsam admittere de benignitate Sedis apostolice curaremus. Nos igitur presentatam nobis postulationem eandem facientes examinari prout convenit diligenter, quia eam invenimus de persona idonea rite factam, ipsam de fratrum nostrorum consilio duximus admittendam, tibi quem tanto congruere oneri et honori per expertam familiaritatem et familiarem experientiam dudum cognovimus absoluto a vinculo quo tenebaris Roskildensi Ecclesie transeundi licentiam ad predictam Lundensem Ecclesiam et plenam administrationem tam in spiritualibus, quam in temporalibus concedentes, spe nobis proposita, quod auctore illo, qui dans virtutes premia tribuit, et gratiam gratie superaddit prefata Lundensis Ecclesia per diligentie tue studium grata in utrisque suscipiet incrementa. Quocirca Fraternitati tue rogamus et monemus attente mandantes quatenus ad Ecclesiam jam dictam Lundensem accedens ita fideliter et prudenter studeas gerere curam ejus quod tibi per vite meritum et familie tibi credite proficias per exemplum, nosque te gratie nostre favore prosequi debeamus. Datum Asisii Idibus Augusti Anno XI.

*In eodem modo Capitulo Lundensi.* Ecclesia vestra pastoris solatio destituta vos vocatis &c. usque incrementa. Quocirca Vniversitati vestre per apostolica scripta precipiendo mandamus, quatenus ipsum recipientes hylariter et honeste tractantes eidem tanquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendatis et exhibeatis ei obedientiam et reverentiam debitam et devotam ejus salubria monita et mandata suscipiendo devote, ac irrefragabiliter observando. Alioquin sententiam &c. usque observari. Datum ut supra.

*In eodem modo Clero Civitatis et Diocesis Lundensis. In eodem modo Populo Civitatis et Diocesis Lundensis.* Lundensis Ecclesia &c. usque incrementa. Quocirca Universitatem vestram rogamus et monemus attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus erga prenominatum Episcopum Capitulum et Ecclesiam vestra non decrescat devotio, ex eo quod quidam vestrum postulationi premisse non fuerunt ut dicitur sicuti nec debuerunt nec potuerunt admitti, vel etiam requisiti cum in collegiatis Ecclesiis jus eligendi non cadat in laicos quantumcunque patronos ne pena, quam Ozias Rex pertulit, qui accepto turibulo volens offerre incensum coram Domino, ut Sacerdos fuit in facie lepra percussus indicet quam sit abhominabile apud Deum Laicos quantumcunque religiosos disponere de personis eccle-

siasticis, atque rebus, quin potius dictum Episcopum recipientes hylariter et honeste tractantes, ac de premissis vos non intromittentes de cetero eidem tamquam patri et pastori animarum vestrarum plene ac humiliter intendatis, et exhibeatis ei honorificentiam debitam et devotam, ejus salubria monita et mandata suscipiendo devote, ac inviolabiliter observando. Datum ut supra.

407. 1253 d. 17 Aug. Assisi.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Bref till Konungen i Danmark i samma ämne.

F. 1: 220.

*Innocentius &c. Carissimo in Christo filio Illustri Regi Dacie.*

Lundensis Ecclesia &c. usque incrementa. Quocirca Serenitatem tuam rogamus, et monemus attente, quatenus ipsum sereno vultu respiciens et benigne pertractans eundem, et commissam sibi Lundensem Ecclesiam habeas pro divina et apostolice Sedis ac nostra reverentia propensius commendatos eos favore Regio prosequendo, ita quod idem, quem tibi desideramus acceptum, et te illi potissime gratiosum tuam sibi et eidem Ecclesie affuisse benivolentiam recognoscens ad dilectionem et caritatem tuam fortius obligetur, nosque devotionis tue zelum cum gratiarum actionibus commendemus. Datum Asisii XVI Kalen. Septembris, Pontificatus nostri Anno XI.

408. 1253 d. 17 Aug. Assisi.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Tillstånd för Decanus och 2 Kaniker i Lund att, då de för den nyvalde Ärke-Biskopen nödgats sätta sig i skuld, få låna 236 lödiga mark silfver, dem den nyvalde Ärke-Biskopen och kyrkan skulle betala.

F. 1: 222. An. 11. Ep. 109.

*Innocentius &c. Dilectis Filiis, Sacero Decano Suenoni et Aquino Canonicis et Procuratoribus Ecclesie Lundensis Salutem &c.*

In nostra presentia constituti nobis humiliter supplicastis, ut cum pro expediendis negociis Venerabilis Fratris nostri Jacobi quondam Episcopi Roskildensis in Archiepiscopum Lundensem Electi et dilecti filii Capituli Ecclesie Lundensis apud Sedem apostolicam oportuerit vos subire onera debitorum, providere super hoc paterna sollicitudine curaremus. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, discretioni vestre propter hoc predictorum et Capituli nomine usque ad summam ducentarum triginta sex marcarum argenti in pondere Trecensi in mutuum contrahendi, et bona eorum etiam obligandi, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Ita quod Electus et Ecclesia memorati hujusmodi pecuniam restituere teneantur, et illi, qui eam vobis mutuaverint, quod in utilitatem Electi, et Ecclesie predictorum sit ipsa conversa pretextu alicujus constitutionis canonice vel civilis et cujuscumque alterius per quos predicti electus et Ecclesia tueri se possent ulla probandi necessitas non incumbat. Datum Asisii XVI. Kalendas Septembris, Pontificatus nostri Anno Vndecimo.